



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Quæst. VI. De Præcepto Dilectionis Proximi præfertim Inimici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

Quod autem asseritur de primo instanti ulus rationis, non rectè fundatur à *Thomistis*, ut ostendit *Poncius sup. num. 53. & seqq.* Si tamen intelligeretur hoc modo, quòd homo perveniens ad perfectum ulum rationis, propositaque divinà bonitate ac obligatione Deum diligendi, teneatur statim moraliter loquendo se ad Deum suum per actum perfectæ dilectionis convertere, illumque instar cuiusdam homagii Deo offerre: non esset, quòd multum culpetur, quin immo factum id rationi videtur congruere. Prout etiam congruit rationi (etsi non satis constet) ut id fieri debeat in fine vitæ moraliter accepto, quòdque non nimis diu differatur durante vitæ. Tempus autem determinationi prudentis relinqui solet: nisi quòd *Cominck disp. 24. num. 53.* & alii, signanter reputent dilationem trium annorum esse gravem, eò quòd tam diu differens videatur divinam bonitatem contemnere, & se in periculo eam creaturis postponendi statuere.

Advertit tamen *Castro Polao d.1. p.4. n. 57.* rarò fidelem, nisi moribus depravatum, hujus peccati reum existere; ut potè sæpè se disponentem ad absolutionem per contritionem, & consideratione divinæ bonitatis ac beneficiorum se ad affectum amicitie disponentem.

Alioquin rigidum nimis est, & à comuni sensu ac praxi alienum, solidoque fundamento destitutum quòd *Poncius* probabile asserit, obligationem currere, quotiescumque Deus proponitur sufficienter ad amandum. Idemque est de determinatione diei Dominicæ, quæ est ex institutione Ecclesiæ, in cujus quoque lege non præscribitur actus dilectionis Dei super omnia. Neque etiam fideles hanc obligationem apprehendunt, aut de omissione talis actus se accusant. Quamvis consultissimum & securissimum sit exequi, quòd rigidiores sententiæ necessarium volunt.

QUÆSTIO VI.

De Præcepto Dilectionis Proximi, Præsertim inimici.

58. Præceptum dilectionis proximi concernit etiam inimicos. Probat.

HOC præceptum exprimitur à Christo *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi sub nomine proximi intelligitur etiam inimicus juxta unanimem Patrum & Doctorum sensum. Qui confirmatur ex *Luca 10.* ubi Samaritanus (etsi alioquin Samaritani Judæis non cõterentur) vulneratum Judæum curans dicitur præ aliis in debiti executione deficientibus misericordiam præstitisse tamquam proximus, in signum quòd nemo à nomine & debito hoc sit eximendus: propter

quòd Christus ibidem concludit: *Vade & tu fac similiter.* Vide *Augustinum lib. 1. de doctr. Christ. c. 30.* Sed & *Matth. 5.* postquam dixisset Christus: *Audistis, quia dictum est, Odio habebitis inimicum tuum,* id ipsum corrigi, dicens: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros &c. ut sitis filii patris vestri, qui in celo est &c.* per quæ satis indicatur rigor præcepti. Et *Luca 6.* familia repetuntur, subjuncta generali ratione præcepti: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Quin etiam in veteri Testamento idem præcipitur, ut *Exodi 23.* de bove & asino inimici reducendo & sublevando, & *Proverb. 25.* *Si esurierit inimicus tuus ciba illum &c.* Quam sententiam repetit Apostolus ad *Rom. 12.* Idem Christus, Stephanus & alii Sancti exemplo suo ostenderunt. Denique in ipsa Oratione Dominicæ jubemur orare peccatorum remissionem, sicut nos dimittimus in nos peccantibus. Id ipsum tradunt Patres passim obvii.

Proinde in veteri lege non erat præceptum nec permissum odium inimicorum, sed Pharizæi (quorum interpretationem Christus redarguit) ex eo, quòd *Levit. 19.* haberetur: *Diliges amicum tuum, sicut te ipsum,* inferebant non rectè à contrario sensu, odio habendos inimicos. Quin potius nomine amici ibi intelligitur quilibet proximus, ut habet textus Græcus. Item vox Hebræa significat quidem amicum, sed sæpissime, & in presenti sumitur, ut quemlibet quovis vinculo conjunctum significet: prout omnis homo creatus ad imaginem Dei, & consequenter capax summi boni, ad invicem habet affinitatem seu conjunctionem naturalem. Nonnulli tamen censent permissam fuisse Judæis inimicitiam seu potius hostilitatem & abominationem alienigenarum, non eandem omnium, sed aliquorum, puta Chæneorum & similium. *Augustinus* etiam vult in lege verè contineri illud de habendis odio inimicis, sed esse vocem non jubentis iusto, sed permittentis infirmo. Verè certè odium inimicorum eatenus præceptum aut licitum fuit, uti & modo est, quòd feratur in eos quæ tales, id est, odiendo exemplo Dei id, quòd in eis malum est, seu iniquitatem, non homines ipsos. Alioquin proximo, etiam peccatori aut inimico, non possumus desiderare malum ut ei male sit.

Hinc imprecationes malorum gravissimorum, quæ frequenter fiunt peccatoribus in Scriptura, sunt intelligendæ hoc sensu, ut iis desideretur infliccio pœnæ, quatenus per illa ostenditur divina justitia, & alii eorum punitione corriguntur, ipsique à nocendo & demeritis augendis cessant. Deinde modus optativus frequenter in Scriptura sumitur pro indi-

59. An odium inimicorum in lege veteri præceptum aut permissum fuerit.

60. In Scriptura quæ sensu malis peccatoribus imprecationes sunt Sancti.

indicativo, ut non tam sint imprecationes, quam prædictiones poenarum iuste infligendarum. Tertio in sensu formali possunt accipi, ut non tam peccatores, quam peccata cupiant everti. Quarto denique, ut mala corporalia desiderentur in ordine ad bonum spirituale, puta conversionem peccatorum, iuxta illud *Psal. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

61. Tria porro potissimum continentur præcepto generali dilectionis proximi. Primum est, non malè velle nec malè facere proximo. Secundum, bene velle ei, & benefacere, ubi necessitas & circumstantiarum ratio id requirit. Tertium, quantum in nobis est, injuriam & nocumentum à proximo propulsare. Hæc enim ratio dicitur, ac norma propria dilectionis, quæ est mensura dilectionis proximi. Hanc quoque normam videmus in dilectione Christi, qui *Joan. 15. ait: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; iram scilicet & odium ac malevolentiam deponendo seu iis carendo, benè volendo ac benè faciendo, mala à nobis propulsando. Idiplurum igitur nobis faciendum respectu proximi.*

62. Solum dubitari posset, an si odio secluso, benefaciamus proximo pro nata occasione, & mala ejus impediamus, satisfaciamus præcepto dilectionis, absque eo, quod alium actum internum obligemur elicere, quo formaliter & expressè eum diligamus. Respondetur autem Affirm. cum *Scoto d. 30. num. 11. & aliis passim. Neque homines communiter aliam obligationem apprehendunt. Et saltem in praxi non est periculum transgrediendi præceptum in hujusmodi, qui non solent prædicto modo se habere, absque intervenitu internæ propensionis erga proximum, cui benefaciant: esto ob motum distinctum, v. g. ex metu interni, offensæ Dei, gratitudinis &c. Quo modo non est dubium, quin satisfiat præcepto. Unde *Matth. 7. dicitur: Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & Propheta, q. d. hoc solum præcipi, hocque faciendo (uti fit juxta præmissa) legem impleri. Et si rectè expendantur, quæ *1. Joan. 3. & 4. ad Rom. 13. & alibi habentur, apparebit totum præceptum dilectionis proximi in amore quoad effectum seu in operibus misericordiarum consistere. Neque aliud ratio dicitur.***

Quod confirmatur: quia ex charitate solum tenemur diligere Deum & proximum, quatenus talis dilectio in bonum eorum cedit; prout præcisè non cedit in bonum proximi actus internus, eidem ignotus, cedit autem præcipuè in bonum & gloriam Dei, cui omnia patent.

Herincx Sum. Theol. Pars III.

Quare differentia est inter charitatem Dei & proximi quantum ad hoc, ut respectu Dei amorem æternum habere oporteat, non respectu proximi, nisi quatenus est necessarius ad vitandum odium, ac exhibenda opera misericordiarum, signaque debite benevolentiarum. Utrumque autem præceptum dicitur simile, quatenus utrumque est divinum naturale, & virtute continens omnia officia erga Deum & proximum exhibenda: etsi dilectio non per omnia similis præcipiatur, sed utriusque conveniens & ad bonum utriusque procurandum opportuna seu necessaria: quemadmodum etiam constat præcipi dilectionem Dei super omnia, non autem proximi.

Unde etiam omnino censendum est sufficere implicitum amorem proximi virtualiter contentum in amore Dei, nisi forte fuerit amor proximi explicitus interdum necessarius ad aliqua bona debita ei exhibenda: alioquin enim hoc ipso quo amo Deum, eique in omnibus placere cupio, implicitè etiam cupio proximo salutem & necessaria ad illam, cum præparatione animi ad procurandum illa pro occasione exigentia.

Accedit: nam neque tenemur interiore dilectionem omnium hominum in generali elicere: cum id videtur contra communem apprehensionem, nihilque vel parum eis utile; ac nequeam omnibus in genere beneficia alicujus momenti præstare: indubiè quoque dilectionis proximi præceptum impleat, qui pro occurrentia occasionum subveniret particularibus determinantum proximorum necessitatibus cum vero amore interno. Neque etiam tenemur omnes & singulos in particulari internè diligere: id enim est impossibile. Nec denique est ratio, cur erga hos potius quam illos debeamus hujusmodi actum elicere, quantum præcisè est ex communi obligatione charitatis. Vide plura apud *Coninck d. 24. dub. 4. Qui advertit ex particulari virtute, puta pietatis erga parentem, gratitudinis erga benefactorem, posse interdum oriri obligationem affectus interni expliciti, ad quem ipse devincunt.*

Circa dilectionem inimicorum observandum est, requiri, ut odio deposito, si gna inimicitiarum non exhibeamus, parati de cetero pro exigentia occasionis præstare ea, quæ communis obligatio charitatis exigat.

Hinc in primis tenemur eis dare veniam erratorum, seu remissionem offensæ, hæc ratione, quod etiam non rogati ex animo deponamus odium seu voluntatem vindictæ quæ proximis malæ, quodque rogati pro venia, hoc ipsum signo externo ostendamus; utpote cujus omisio tunc esset signum odii, & incitamentum

63. Differentia inter Deum & proximum quantum ad hoc.

64. Sufficit dilectio implicita in dilectione Dei super omnia contenta.

65. Vltior confirmatio præmissorum.

66. Ad quid obliget dilectio inimicorum.

Qualiter sit eis remittenda offensæ.

tum ejusdem in proximo. Excipit tamen *Coninck disp. 24. dub. 6. num. 94.* Superiores, qui causâ meliori boni possunt hæc signa aliquando omittere, sequo aliquantulum offensos ostendere, exemplo Davidis, qui diu noluit Absolonem admittere ad conspectum: hoc enim potest deservire ad commendationem peccantis, & punitionem peccati. Cavendum tamen, ne superior id videatur facere ex odio: nam inde possent subditi exacerbari.

67. *An remittenda sit satisfactio pro injuria vel damno.*

Non est quoque à privato offenso necessariò remittenda satisfactio pro injuria aut damno illato. Potest enim injuriam passus condignam petere satisfactionem, intendendo actionem injuriarum, vel punitionem secundum ordinem juris ex amore justitiæ, denique restitutionem seu compensationem damnorum. Quòd si ipsa petitio veniæ censetur esse sufficiens satisfactio, ulterius peti non potest. Periculosum tamen valde est, ne sub prætextu juris ad amissum servandi, lateat occultum odium, aut utique ipsam vindicandi, præsertim dum de reparatione meræ injuriæ aut punitione culpæ agitur. Neque rigor iste est adeò pietati Christianæ congruus: quamvis alioquin secluso pravo affectu non sit culpandus: petitur enim quod debitum est, & Magistratus præstare debet.

68. *Illud est præceptum seu ordinariè loquendo excludendum à beneficio cum à beneficiis communibus.*

Secundò juxta communem Doctorum sententiam, est obligatio ex genere suo gravis, non excludendi inimicum à generali affectu vel beneficiis communibus, quæ cæteris hominibus, vel communitati, cujus est pars, exhibemus: eò quòd talis exclusio sit morale signum odii, & ab eo procedat, sitque excitativa proximi ad reciprocum odium, atque adeò scandalosa. Unde est peccatum grave vel leve pro ratione gravis vel levis aversionis à qua procedit, & scandali seu odii quod generat. Ut proinde non tam considerandum sit bonum, à quo inimicus excluditur, quàm utrum talis exclusio ex gravi aversione procedat, sitque hic & nunc graviter offensiva.

69. *Quid censendum si odium & scandalum absit.*

Alioquin speculativè loquendo, id est, secluso odio interiori & scandalo, difficulter apparet malitia in hoc, quòd beneficium indebitum omnibus, concedatur solis amicis, excluso inimico, hæc consideratione, quòd dare beneficium sit liberalitatis indebitæ, & quidem minus inimico, potius deperito. Scandalum quoque facile cessare posset in casu, quo proximus bene informaretur. Si autem quis inferat, consequens esse, ut si quis preces fundat pro omnibus incolis oppidi, expressè excluso unico inimico, non peccet contra præceptum dilectionis inimicorum. Respondet *Arriaga d. 39. s. 2. num. 19.* talem exclusionem vix posse fieri, nisi ex

odio, ideòque ordinariè subesse peccatum, non tam ratione exclusivæ, quàm mali animi, defectu alterius rationabilis prætextus, in quo ipsa fundetur: aliàs ipsam non malam fore.

Clarius autem est posse inimicos excludi ex aliqua causa honesta à beneficio amicis exhibendo. Unde si ipsum non sufficiat pro omnibus, possunt calumniatores omitteri: si preces pro omnibus fundendæ non putentur omnibus simul profuturæ, possunt amicis solis impendi; prudentia dicente, ut potius amicis fiat favor. Neque tunc est nota odii, aut, si causa notificetur, occasio scandalosa.

Tertiò signa specialis benevolentia non sunt præstanda inimicis ex obligatione: cum hæc ne aliis quidem sint exhibenda, qui utique non sunt pejoris, sed magis potioris conditionis, inimico se per inimicitias indigniorem recedente. Unde si ne peccato negari potest inimico, quòd alteri non inimico, per se loquendo. Quare non obligaris salutare inimicum, ut nec alios. Potes voluntatem tuam gratuitam de eo instituendo herede mutare, aliumque magis gratum substituere. Similiter non teneris eum ad familiaritatem pristinam & amicitiam specialem admittere. Salutarem tamen teneris regulariter resalutare, uti antea fecisses, non solum ratione urbanitatis, sed quia ista negatio designat latens odium, unde procedit, estque scandalosa aliis, signanter inimico. In casu quoque publicæ inimicitia teneris juxta *Coninck d. 24. num. 91. Bonacina & alios* (quòd maximè verificatur, si alter sit superior aut persona valde eminent) salutare, quem antea solitus eras salutacione prævenire, eò quòd seculis agendo prodas inimicitiam, & scandalizes. Similiter non potes salutatis decem simul constitutis aversam facie præterire inimicum solum, ob similem causam. Verumtamen nonnulla saltem ex præmissis culpâ frequenter carent juxta *Arriaga d. 39. s. 2. num. 21.* si absit internum odium, & scandalum præsentium, qui informati de causa merito judicent offensum posse indignationem exteriori ostendere, sive ut offendens apprehendat qualitatem sui facti, quòd levi pendeat, sive ut respiciat, sive (si offensus sit superior) ut puniatur.

Pro fine quaestionis movetur debita- tio, quæ dilectio melior sit & magis meritosa, amici, an inimici? Et quidem constat in dilectione inimici reperiri majorem difficultatem, atque eatenus eam esse meliorem ac magis meritorem. Dum enim propter Deum inimicus diligitur, magis appreciativè, censetur Deus amari ratione operis tam heroici ac difficilis, quòd propter ipsum facis. Similiter est opus magis heroicum dilectionis, si inimicum propter

Quando ex uso prædicat a sit licet.

70. *Signa specialis benevolentia an vel quando inimicis exhibenda.*

71. *Dilectio amici & dilectio inimici in nullo sunt eorum.*

pter ipsius virtutes, conjunctionem in natura & ordinem ad eundem finem diligas. Ex quo consistit perfectio operis. Estque eadem dilectio ordinariè purior, carens scilicet aliis respectibus, qui dilectionem amicorum circumstare possunt & solent. Aliunde dilectio amici habet nobilius objectum & amore dignius titulo amicitiae, ex quo etiam est magis seu specialius debita. Ordinariè etiam est magis intensa seu ferventior.

72. Facta verò ad invicem comparatione, censent Varii dilectionem amici esse simpliciter meliorem. At Durandus, Gabriel Conneck, Wiggers, Arriaga & alii plures (& problematicè defendit S. Bonaventura d. 30. art. 1. q. 6.) rectius censent, ceteris paribus, videlicet si amico & inimico pari affectu & motivo par bonum desideretur, dilectionem inimici esse ordinariè simpliciter excellentiorem & magis meritoriam. Quod ipsum videtur conforme communi sensui hominum. Ipeque Christus dilectionem inimici tamquam quid magis meritorium commendat *Matth. 5. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros &c. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? &c. Estote ergo perfecti &c.* Idem indicat Apostolus ad *Rom. 5. arguens à minori ad majus: Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.*

Ordinariè tamen & ceteris paribus dilectio inimici est melior & magis meritoria.

Probat ex Scriptura.

Consonant Patres. *Augustinus Enchirid. c. 73. Minus enim magnum est erga eum esse benevolam sive etiam beneficium, qui tibi malis nihil fecerit. Illud multo grandius, & magnificentissima bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas. Chrysostomus Hom. de Cruce & Latrone. Gregorius Hom. 27. in Evang.*

73. Patribus.

Et ratione.

Ratio est: quia excessus, qui sumitur ex difficultate hujus dilectionis, ex qua ipsa fit opus maxime heroicum & perfectum, magis aestimandus est, quam excessus qui sumitur in dilectione amici ex nobilitate objecti, qui respectivè parvè considerationis est in bonitate dilectionis ex charitate Dei.

74. Nec obstat illud Christi *Joan. 15. Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nam pariter verissime substitui posset: *Pro inimicis suis.* Non enim comparatur dilectio amicorum dilectioni inimicorum usque ad mortem, sed mors pro amicis tolerata, omnibus aliis dilectionis operibus, quae amicis exhibentur, praefertur, q. d. majus dilectionis opus nemo erga amicos (idem est de inimicis) ostendit, quam ut vitam (quae nil pretiosius inter omnia quae causam alterius contemni possunt) impendat pro iis,

quos diligit. Aliàs si instituat comparatio inter amicos & inimicos, diceretur cum *Bernardo Serm. de Pass. Domini*, verbis Christi subjungente: *Sed tu Domine majorem, charitatem, habuisti, qui vitam posuisti, etiam pro inimico.*

Non obstat etiam, quòd pejus sit odisse amicum, quam inimicum. Inde enim in moralibus non semper sequitur oppositum esse melius; scilicet amare amicum, quam inimicum. Furari namque pejus est, quam non ingredi religionem, & tamen ingredi est melius, quam abstinere à furto. Fortitudo est perfectior temperantià; & tamen intemperantià est peior pusillanimitate. Turpius est vinci à puero imbelli, quam à forti armato; & tamen generosius est hunc vincere, quam illum. In praesenti itaque odium amici est pejus, quia est majus debitum eum veluti conjunctiorem amandi, faciliorque praecipiti observantia, & pauciora transgrediendi motiva: et si melius sit amare inimicum, veluti minus conjunctum, amari difficilem, & odii pronum. Ceteris tamen paribus oppositum melioris est pejus, & corruptio optimi pessima.

75. Et eo quòd pejus sit odisse amicum non sequitur amorem oppositum esse meliorem amore inimici.

QUESTIO VII.

De Ordine Charitatis Sui ipsius, & Proximi.

POST Deum diligere quisque debet semetipsum, ut habet indubitata omnium doctrina, & ratio cuique insita tradit: Charitas enim inclinat potius in bonum sui subjecti, quam alterius extranei, ob conjunctionem seu proximitatem diligendi. Unitas enim potior est unione. Ideoque in praecipito Christi *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, partim indicatur & supponitur necessaria dilectio sui ipsius, ut notat *Augustinus l. 1. de Doctr. Christ. c. 26.* Partim eadem statuitur norma & exemplar dilectionis proximi; ut non vicissim dicatur: *Diliges te ipsum, sicut proximum tuum.* *Magis enim mihi me debeo, quam hominibus ceteris, inquit Augustinus l. Retract. c. 8.* Unde inquit idem *Hom. 37. inter 30. Primum dilige Deum, deinde teipsum: post haec dilige proximum tuum, sicut teipsum.* Ubi rursus observant Doctores lycaei denotare similitudinem, non aequalitatem; uti frequentius sumitur in Scriptura *Matth. 5. Estote perfecti, sicut & pater vester &c.* Et alibi. Ideoque *l. de Diligendo Deo c. 1.* (qui est in appendice Tomi 9. operum *Augustini*) notatur, quòd proximum non jubeamur diligere, quantum nos, sed sicut nos; seu (ut *Prosper lib. 3. de Vita contemplat. cap. 15.*) secundum nos,

76. Ordo charitatis post Deum incipit à nobis ipsis.